



1. Disputatio de Providentia
2. Disput. de vera dei Invocatione.
3. Themat. (1) de verbo dei (2) de deo ipso.
4. De peccato.
5. De justificatione et bonis operibus.
6. De communicatione idiomatum.
7. De claudibus regni coelorum.
8. De precibus capitibus doctrinae evangelicae.
9. Apologia verae doctrinae de definitione evangelii.
10. De persona Christi, de unione personali in Christo, de unione
sua communione: veram praesentiam corporis et
sanguinis Christi in cena.
11. De peccato originis.
12. De Exorcismo.
13. De summa doctrinae Ecclesasticae.
14. De duabus naturis in Christo.
15. De cena Domini.
16. De visitatione ecclesastica.

Conciones

1. Luc. 12. Unde dicitur non dicitur dicitur dicitur etc.
2. Luc. 29. Unde dicitur dicitur dicitur dicitur etc.
3. Matt. 4. Unde dicitur dicitur dicitur dicitur etc.
4. Matt. 11. Unde dicitur dicitur dicitur dicitur etc.
5. Corinth. 11. Unde dicitur dicitur dicitur dicitur etc.
6. 1. Cor. 13. Unde dicitur dicitur dicitur dicitur etc.



PROPOSITIONES
REPETENTES

PRAECIPVA CAPITA DO-
CTRINAE ECCLESIAE

asticæ, de quibus

Præsidente DAVIDE VOITO D.

Pro licentia accipiendi gradum Doctorum in
Theologia, DE Oiuuante, Respondebunt Re-
uerendi viri

- M. IOANNES STREITPERGERVS Curio Variscus, In-
spector prouincialis Ecclesiarum in Marchianatu Brandenbur-
gico superiori.
- M. MARTINVS MIRVS VVeidensis, Pastor & Superinten-
dens Ecclesie Ienensis & Vicinarum, & Professor in Aca-
demia Ienensi.
- M. IOANNES AVENARIVS Egranus, Professor Hebrae
linguae in Academia Ienensi.

Die XXIX. Ianuarij.

IENAE.

EXCVDEBAT DONATVS
Ritzenhan.

ANNO D. M. LXXIIII.

PROPOSITIO

REPETENTES

PRÆCIPVA CAUSA DO-

CTRINAE ECCLESIAE

aliqua de quibus

Præfatus DAVIDE VOITTO D.

Pro licentia accipiendi gradum Doctorum in
Theologiae, DEO iuvante, Respondendum Re-

M. IO. ANNES STREITPERSERUS Canonicus

M. MARTINUS MERSERUS Theologus, Pastor &

M. IO. ANNES ANNERIUS Theologus, Professor in

Die XXIX. Januarii

1711

ACCEDUNT DONATVS

ANNO D. M. DC. XXI.



PROPOSITIONES
REPETENTES

PRAECIPVA CAPITA DO
CTRINAE ECCLESIAE

astica, &c.

I.



DEI beneficio, agnoscimus & grata
mente profiteamur, ingens DEI opus
esse, & multò maius ipsa creatione re-
rum, quod DEVS immensa bonitate
& misericordia ex arcana sede sua &
luce inaccessibili prodiens patefecit se
generi humano, & certum atq; expres-
sum verbum non solum tradidit per Filium λόγος, ab ini-
tio missum ad Ecclesiam, sed etiam scribi per Prophetas,
Euangelistas & Apostolos voluit: & testimonia illustra
minimeq; fallentia addidit, quæ testantur, & DEVM
esse, Dominum totius rerum naturæ, liberrimum, & do-
ctrinam Ecclesiæ, non humana sagacitate excogitatam,
sed verè diuinitus traditam esse. Sicut scriptum est Ioan.
I. DEVM nemo vidit vnq̄, vnigenitus Filius DEI, qui
est in sinu Patris, ipse enarravit. Psal. 102. scribatur hæc in
generatione altera, Ioan. 10. opera quæ ego facio in no-
mine Patris mei testimoniū perhibent de me. Et Augusti-
nus hoc beneficiū celebrans in enarratione Psal: 110. gra-
uissime & dulcissime inquit: Fidelis Deus se nostrum

A 2

debitorem

debitorem fecit, non aliquid à nobis accipiendo, sed
tanta nobis promittendo. Parum erat promissio, etiam
scripto se teneri voluit, veluti faciens nobiscum Chiro-
graphum promissorum suorum, Non solum autem scrip-
turam cum hominibus fecit, vt crederent: sed etiam fi-
dei suæ posuit Mediatorem vnicum Filium suum.

II.

Certissimum est DEVM sibi in genere humano
propter Filium & per eum non aliter quam voce doctri-
næ, quæ scripta est in libris Prophetarum & Apostolo-
rum, colligere æternam Ecclesiam. Ab hac vult DEVS
sic agnosci, sicut se patefecit, secp̄ à commentitijs numini-
bus discerni: nec aliud de Essentia aut voluntate DEI,
aut de cæteris articulis fidei asseuerari, quàm quod ipse
tradidit in scriptis Prophetis & Apostolicis. Ac nota
sunt pijs manifesta dicta Esa: 8. Ad legem & testimoni-
um, Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis
lux matutina. Luc: 16. Habent Mosen & Prophetas.
Ephes. 2. Extructi estis super fundamentum Prophe-
tarum & Apostolorum. Hæc dicta has regulas firmas &
immutas tradunt: Impossibile est esse Ecclesiam DEI
cætum ex Professo reiicientem scripta Prophetica & A-
postolica. Item: Nullam doctrinam de DE Oposterior-
em Prophetis & Apostolis, & dissentientem ab ipsorum
scriptis, veram esse.

III.

Hæc cum ita sint, clare affirmamus coram DEO &
vniuersa Ecclesia in cælo & in terra, nos vera fide am-
plecti omnia scripta Prophetarum & Apostolorum: Neq̄
verò ludimus præstigijs interpretationum, sed in singu-
lis fideliter & sine corruptelis retinemus natiuam sen-
tentiam Ecclesiæ Catholicæ & Orthodoxæ, quæ ex-
pressa

pressa est in Symbolis, Apostolico, Niceno, Athanasiano, & Chalcedonensi, Et in confessione exhibita ab Illustrissimis & laudatissimis Principibus Ducibus Saxoniae, Electoribus Ioanne Patre, & Ioanne Friderico Filio, Et Marchione Brandenburgensi Georgio: celeberrimae & laudatissimae memoriae, & alijs quibusdam in conuentu Augustano, Anno millesimo quingentesimo tricesimo. Abhorremus etiam ab omnibus furoribus & portentosis opinionibus veteribus & recentibus, cum hac sententia pugnantibus, & graui iudicio Ecclesiae condemnatis, & in hac fide verum DEVM, qui se patefecit in Ecclesia sua misso Filio, & additis illustribus testimonijs, inuocamus coniuncta precatione nostra cum omnibus sanctis & beatis in caelo & in terra.

III.

Hæc postq̃ præfati sumus, deinceps præcipua capita doctrinae recitabimus. Sunt autem duo præcipua capita, quæ DEVS, vt rectè agnoscatur, inuocetur, & celebretur, perspicue in verbo comprehenso scriptis Prophetarum & Apostolorum de se patefecit, videlicet de Essentia & de voluntate DEI. Ac primum quidem credimus DEVM non esse inane nomen, vt Epicurei impie ac tetrè cum summa temeritate & impudentia fingunt, De quibus Psal. 14. dicitur, Dixit insipiens in corde suo, non est DEVS. Et in historia Philosophica apud Galenum scribitur: Fuerunt, qui DEOS non esse dixerunt: non tamen id palam fateri ausi sunt, sed an Dii essent, ignorare se dicebant, Inter quos Euripides Atheniensis, quanq̃ id ipse non dicit, sed Sisyphum id dicentem introducit, ob metum Areopagitarum.

V.

Nec assentimur Ethnicis, valentinianis, & Manichæis,

chels, qui impia & horribili audacia Deos innumerabiles finxerunt: Sed credimus & confitemur DEVM esse vnā Essentiam, spiritualē, intelligentem, eternā, aliam a creaturis omnibus, veracem, bonam, iustam, castam, misericordem, beneficam, liberrimam, immensæ sapientiæ & potentiæ, conditricem, & conseruatricem cœli & terræ & omnium creaturarum. Et simul voci diuinæ assentimur, quæ affirmat in illa vnica Essentia diuina tres esse personas, quæ in verbis Baptismi recensentur, *Α* Eternum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum *ὁμοουσιος υἱὸς ὁμοουσιος*, eiusdem Essentiæ & potentiæ, & coæternas. Et hunc DEVM credimus colligere sibi Ecclesiam in genere humano voce Euangelij per Filium & propter eum, qui & iudex futurus est post vniuersalem resurrectionem mortuorum.

VI.

De vnitāte Essentiæ diuinæ testimonia manifesta & perspicua sunt Deut. 6. DEVS noster DEVS vnus est. Deut. 32. Videte quod ego sim solus & non sit alius DEVS præter me. Esa. 44. Ego primus & nouissimus, & præter me non est DEVS. Ioan. 17. Vt cognoscant te solum DEVM verum. I. Corint. 8. Scimus quod nihil est idolum in mundo, & nullus est alius DEVS nisi vnus. Hæc dicta non tantum de persona æterni patris loquuntur, sed de Essentia diuina, quæ est *Α* Eternus Pater, Filius & Spiritus sanctus, sicut hic ipse vnus, solus & verus DEVS, de quo Moyses testatur quod populum Israhël eduxerit ex *Α*gypto, disertè describitur Exod. 15. Dominus est fortis bellator, Iehouah est nomen eius. *Α* Dexterā tuā Iehouah percussit inimicos, & per spiritum faciei

faciei tuæ congregatæ sunt aquæ. Horum verborum optimus interpres est Esa: 63. Vbi est, qui spiritum sanctum posuit in eis, Qui eduxit dexteram Moysi brachio Maiestatis suæ, Qui scidit aquas ante eos, Spiritus Domini ductor eius fuit. Et nota est omnibus pijs illustris patefactio vnus veri & viui DEI in Baptismo Christi exhibita, cum qua congruit institutio nostri Baptismi.

VII.

Hinc regulæ graui iudicio in Ecclesia traditæ sunt, quæ recitantur à Iustino in libello de Trinitate, ἡ τῆς θεότητος ἀειδίωσις τῆς ΘΕΟΣ ὀνομασία σημαίνεται. h. e. Essentiæ notatio significatur, quoties DEVS nominatur. Et à Basilio Epistola 81. Pag. 359. τὸ εἶς καὶ μόνον ἐπὶ τοῦ θεοῦ ἐν τῆς ἁγίας ἁπλῆς ἀντιδιαστολῆς τῶν ἁγίων πνεύματος λέγεται, ἄλλὰ πῶς τὸ μὴ ὄντας θεοῦ, ὀνομαζομένους δε ψευδῶς. h. e. Particulæ exclusiue VNVS & SOLVS usurpantur in scriptura de DEO, non vt excludant à diuinitate Filium & spiritum sanctum, sed vt discernant à vero DEO idola Ethnica, quæ nihil aliud sunt, quam inania nomina.

VIII.

Sicut autem Athanasius his regulis vtitur sermone 4 contra Arianos, ita nos easdem opponimus recentibus furoribus & vlulatibus Trideitarum miscentium Sabelliana, Samosatena, Ariana & Eunomiana deliria, vt, tota veteris Ecclesiæ doctrina de discrimine Essentiæ & personæ deleta, discerpant Essentiam diuinam in tres DEOS inter se impares, transformentq; tres Personas in tres numero Essentias, ne dici possit, Pa-

A 4

ter Fi-

ter Filius & Spiritus sanctus sunt vnum scilicet Essentia
seu Deitate, & Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt vnus
& idem DEVS. Has blasphemias non dubium est Di-
abolum serere, vt sint in hac extrema senecta mundi se-
mina & παρασκευαί Turcicæ impietatis.

IX.

Retinemus etiam discrimen appellationum *ουσιας*
h. e. Essentiæ & *υποστασεως* h. e. personæ. Quod discrimen,
etsi vt Theodoretus ait, sapientia extra Ecclesiam
ferè ignorat: tamen vt veram doctrinam de vna Essentia
& de tribus personis diuinitatis rectè explicet, & sese
aduersus hæreticorum insidias muniat Ecclesia, religio-
se obseruat & ita declarat, vt Essentiam seu *ουσιας* nomi-
net naturam tribus personis communem. Etsi enim *ουσιας*
est *χωρητικος ητοιμασις* h. e. simplicissima & impar-
ibilis: tamen non est *ακοινωνητος* h. e. incommunicabi-
lis, sed verè communis est trium personarum. Neq; enim
est aliquid abstractum à personis, vel aliqua communis
natura seorsim considerata, perinde ac si extra personas
Patris & Filij & Spiritus S. Essentia diceretur esse DE-
VS: Personas verò seu *υποστασεως* nominat quæ in hac ip-
sa natura vel Essentia ab æterno subsistunt, & tamen in-
uicem, non ratione seu cogitatione tantum, sed proprie-
tatibus incommunicabilibus realiter distinguuntur. Est
enim persona *υφισταμενος* subsistens viuum, indiuiduum,
intelligens, incommunicabile, non sustentatum in alio.
Hoc discrimen luculente exponitur à Basilio in Epistola
ad Gregorium fratrem: à Theodoro Dialogo primo,
& à Damasceno lib: I. Cap: II.

Discrimia

Discrimina personarum ostendunt ipsæ definitiones, quæ singulari beneficio DEI, à Reuerendo & optimè merito præceptore nostro D. Philip. Melanthon, ex fontibus Israël haustæ, omnibus pijs notæ, aut certe nemini inauditæ sunt. Ex his autem intelligi potest Duplicitia esse discrimina Personarum Diuinitatis. Alia sunt interiora, quæ sumuntur ab internis actionibus Dei, vt sunt Gignere, Nasci, procedere, Hæ actiones dicuntur Personales. Et quanquam longè supra & extra conspectum creaturarum positæ sunt: tamen earum declaratio, quæ sumitur ab anima hominis, in qua sunt Mens, Cogitatio, quæ est imago rei cogitatæ, & Motus, qui est impulsio spirituum, piè, reuerenter & sine cauillatione retinenda est. Alia sunt externa, & sumuntur à beneficijs erga Ecclesiam. Etsi enim Opera diuinitatis externa sunt communia, Sicut enim personæ sunt inseparabiles, ita etiam inseparabiliter agunt, vt Augustinus ait lib. I. de Trinitate: tamen ordo Personarum & cuiusq; personæ proprietas seruatur. Sic collectio Ecclesiæ per Ministerium Euangelij & omnia beneficia, quæ in Euangelio exhibentur, sunt quidem opera totius diuinitatis, & tamen hoc ordine tribuuntur singulis personis: Pater non mittitur, Filius & Spiritus sanctus mittuntur, sed dissimiliter: Filius immediatè profert Euangelium ex sinu æterni patris, ostendit voluntatem patris, solus assumit naturam humanam, solus fit victima, & vt Esa: 63. dicitur, solus calcauit torcular. Spiritus sanctus per Filium datur, sanctificat corda credentium, & tales motus in eis accendit, qualis est ipse.

B

Quem

XI.

Quemadmodum autem Petrus Apostolus Matthæ
 16. à Christo interrogatus, quantum Messiaë tribueret,
 non obscure, nec ambigue, nec flexiloque, sed clare &
 perspicue respondit, Tu es Christus Filius DEI viuit
 Qua confessione vtrunq; & personam & officium Chri-
 sti complexus est: Ita nos nihil dubitantes affirmamus &
 profiteamur Dominum nostrum IESVM CHRIS-
 TVM, esse secundam personam diuinitatis, videlicet,
 æternum DEI Filium ex substantia Patris ab æterno
 genitum, per quem omnia facta sunt, quæ facta sunt: qui
 post lapsum Adæ ad reparationem generis humani pro-
 lata promissione gratiæ ex sinu æterni Patris hominem
 se futurum pollicitus est. Et hunc tandem in plenitudine
 temporum in utero castissimæ virginis Mariæ per spiri-
 tum Sanctum conceptum & verum atq; perfectum ho-
 minem factum esse, assumpta tota natura hominis, Cor-
 pore & anima, non modo insperabiliter, sed etiam perso-
 nali vnione. Sunt igitur in hoc Domino nostro Iesu Chri-
 sto duæ naturæ, Diuina & humana.

XII.

Certissimæ & indubitatae confirmationes de diuina
 natura in Christo sumuntur: PRIMVM ex Appellatio-
 nibus, quarum etsi magna est varietas apud Prophetas
 & Apostolos: tamen maxime illustres sunt hæ, quæ apud
 Ioannem & Paulum extant. Nam Ioannes nominat hunc
 Filium vnigenitum & λόγος. Paulus ἐκόνος hoc est Ima-
 ginem: FILIVS VNIGENITVS dicitur, vt discernan-
 tur à Christo Filij adoptionis. Vnicus est enim Filius vn-
 igenitus, qui est de essentia Patris, Sed homines Rena-
 ti nominantur Filij adoptionis, quia propter vnigeni-
 tum

tum diliguntur, qui factus est frater noster assumpta nos-
tra natura, vt nos vicissim efficeremur fratres ipsius,
participes diuinæ naturæ 2. Pet. I. Et tamen alia est essen-
tia creata hominis, & alia est diuinitatis essentia, quæ se-
parabiliter est in renatis, qui sunt templa DEI. De hac
appellatione inquit Nazianzenus λογος περι υιου εως μιν
οτι ταυτον εστι τω πατρι κατ' οσιαρ, και εινενο μονορ, αλλα
και εθιρ; μονο γερ ης δε, εχ' οτι μονο εν μονο και μονορ, αλλα
οτι και μονοτροπως, εχ' ως τα σωματα. hoc est, FILIUS dis-
citur, quia eiusdem essentia est cum Patre, nec tantum
hoc, sed etiam ex essentia Patris. VNIGENITVS. Non
tantum quod solus ex solo, & solum, sed etiam quod non
vt corpora, suo quodam peculiari modo. Et Augustinus
libro 21. de C. D. cap: 15. inquit, Quotquot spiritu DEI
aguntur, hi Filij DEI sunt, sed gratia, non natura. Vnicus
enim natura DEI filius propter nos misericordia factus
est Filius hominis, vt nos natura filij hominis, filij DEI
per illum gratia fieremus. Manens quippe ille immuta-
bilis, naturam nostram, in qua nos susciperet, suscepit a
nobis, & tenax diuinitatis suæ, nostræ infirmitatis parti-
ceps factus est, vt nos in melius commutati quod pecca-
tores mortalesq; sumus, eius immortalitatis & iusticiæ
participatione amittamus, & quod in natura nostra do-
num fecit, impleti summo bono in eius naturæ bonitate
seruemus.

XIII.

Idem Filius dicitur λογος & εικων, & respectu Patris,
& respectu Ecclesiæ. Respectu Patris, propter arcanū mo-
dum generationis eterne. Quia sicut in hominibus Ver-
bum cogitatione formatur, quod est imago rei cogitatae:
ita Pater sese perfecte intelligens gignit imaginem suam

B 2,

seu

seu verbum, quod est ipsius integra & consubstantialis imago. Differunt autem imagines in creaturis ab hac imagine in diuinitate. Quia imagines in creaturis sunt vmbre euanescentes; Sed Filius æterni Patris est imago subsistens, viua & manens, ὁμοῦσιος patri. Ideo Ignatius auditor Ioannis Apostoli nominat Christum λόγον ὁσιωσῶν. Huius declarationis, quæ rectè sumitur ex vocabulo imaginis locupletes testes sunt, Tertullianus aduersus Praxeam, Basilius enarrans exordium Euangelij Ioannis, Gregorius Nazianzenus, Augustinus lib. 7. 9. 14. de Trinitate Cap. 12. & Tractatu 14. in Ioannem. Et in libro de cognitione veræ vitæ Cap. 14. Fulgentius lib. 3. ad Monicam. Lutherus enarrans caput primum Geneseos. Sed huius arcani consideratio erit sapientia, quam in vita æterna integrè discemus.

XIIII.

Cæterum Respectu Ecclesiæ dicitur λόγος, Quia est persona, quam æternus Pater immediate mittit ad Ecclesiam, & quæ ab initio protulit Euangelium ex sinu æterni Patris & ad humana semper colloquia descendit ab Adam vsq; ad Patriarchas & Prophetas in visione, in somnio, in Aenigmate, in speculo: Seruat ministerium Euangelij, colligit Ecclesiam & mentibus nostris ostendit voluntatem æterni Patris, ac dicit consolationem, quam sonat vox Euangelij, & assensionem confirmat. Eadem ratione Filius quoq; dicitur IMAGO. Quia annunciando Euangelium ostendit arcanam voluntatem æterni Patris. Nec dissimiles sunt voluntates Filij & æterni Patris. Cum enim Filius sit Imago æterni Patris, non cogitetur alia & dissimilis arcana esse voluntas Patris.

tris. Congruunt autem ad hanc declarationem plurima dicta, ut quod Esaias Cap. 9. nominat Filium consiliarium, Et postea Cap. 41. nominat eum Euangelistam. Et Psal. 35. de Filio dicitur: Dic animæ meæ, salus tua ego sum, Ipse quoque respondet interrogantibus quis sit τὸ ἄρχω ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, h. e. prorsus sum hæc persona, quæ cum Ecclesia loquitur & eam colligit. Et ad Philip- pum inquit Ioannis 14. Qui videt me, videt Patrem. Eadem declaratio passim in scriptis Patrum repetitur, ut apud Irenæum lib. 3. Cap. 20. apud Tertullianum aduersus Praxeam, Et Nazianzenus expresse inquit, Filium dici λόγος, quia sit ἐξαγγελτικός. Et Basilius præclare inquit, Mens illustrata luce Spiritus sancti ad Filium respicit, & in eo velut in imagine Patrem cernit. Cum autem & hæc declaratio affirmet, Hunc Filium ante assumptionem naturæ humanæ affuisse Ecclesiæ, maximè perspicue ostendit λόγος ὑφιστάμενον esse.

XV.

Secunda confirmatio sumitur ex duabus proprietatibus diuinis, videlicet ex inuocatione & omnipotentia, quas vniuersa scriptura Prophetica et Apostolica Christo tribuit. Nam Inuocatio, qua petimus liberationem à peccatis, & à morte, & donationem Iusticiæ & vitæ æternæ, & conseruationem naturæ & vitæ corporalis, soli Deo tribuenda est, quia solus DEVS hæc nobis dare potest: & solus introspicit corda petentium, cognoscit omnes cogitationes quas format natura cordis humani: & discernit veram inuocationem à simulata Psal. 139. Tu intelligis cogitationes meas de longe. i. Paralip. 29. Dominus scrutatur omnia corda & intelligit formationem omni-

om cogitationum. Et in actis Capit. I. & 15. nominatur
DEVS καὶ θεὸς ὡς ἰσχυρός. Extant autem clara & perspicua
testimonia, quæ & præcipiunt inuocari CHRISTVM,
& eum vera fide coli, & hoc modo inuocantibus exau-
ditionem promittunt vt Psalm. 45. Ipse est DEVS tuus,
& adorabis eum. Psalm. 72. Adorabunt ipsum semper.
Psalm. 2. Beati omnes qui confidunt in eo. Hanc grauissi-
simam confirmationem obscurant & labefactant non
tantum pontificij, translata inuocatione ad homines
mortuos, sed etiam alij, qui hoc tempore causas vnionis
duarum naturarum in Mediatore arrodunt.

XVI.

De Omnipotentia manifestissima sunt dicta Pro-
phetica & Apostolica, quæ CHRISTO tribuunt Cre-
ationem rerum ex nihilo, conseruationem & sustentati-
onem totius vniuersitatis rerum, Instaurationem Eccle-
siae collapsæ, & omnes mirandas liberationes eiusdem:
deniq; donationem Iusticiæ & vitæ æternæ. Psalm. 33.
Verbo Domini cœli firmati sunt. Ioan. I. Omnia per ip-
sum facta sunt. Ioan. 5. Pater meus vsq; modo operatur,
& ego operor, quæ ille facit, & Filius similiter facit.
Item, Sicut Pater exuscitat mortuos & viuificat, sic & Fi-
lius quos vult viuificat. In hac concione expressè affir-
mat CHRISTVS se vnâ cum Patre creare, sustentare
creaturam, seruare Ecclesiam, reddere vitam mortuis,
quæ sine vlla dubitatione sunt solius naturæ omnipo-
tentis propria. Ioan. 10. Ego vitam æteruam do eis. Co-
loss. I. Omnia per ipsum & in ipsum condita sunt, & om-
nia per eum consistunt. Hebr. I. Per Filium, quem posuit
hæredem omnium per quem & sæcula fecit, qui est ful-
gor clarus

gor claritatis & effigies substantiæ eius, ferens omnia
verbo potentiæ suæ. Hæc dicta manifestè testantur esse
in CHRISTO diuinam naturam, conditricem cum
Patre & spiritu sancto.

XVII.

Rectè igitur iudicio Ecclesiæ damnati sunt olim,
Paulus Samosatenus Episcopus Antiochenus, & postea
Phorinus Presbyter Syrmienensis, & recēs Seruetus, quem
nunc Gigantea soboles in Transyluania & Polonia se-
quitur. Nam doctrinā de persona Filij DEI transforma-
runt in Iudaicas opiniones, quas post Apostolos spar-
serunt Ebion & Cerinthus. Negarunt enim in Christo esse
diuinam naturā & contenderunt λόγος in narratione Io-
annis intelligi debere tantū de decreto vel sono euanes-
cente promissionis, nō de persona diuinitatis. Rectè etiā
damnatus est Arius Presbyter Alexandrinus, qui τῆς φη-
λαρχίας ὀνισσῶ πυροῦμεν, vt Nicephorus ait libro 8. Ca-
pit. 6. impium & blasphemum dogma de Filio DEI
finxit, quod & illis temporibus maximam partem orbis
errarum horribiliter dissipauit, & postea audacissimo
homini Mahometo materiam præbuit confirmandæ &
stabilendæ idolomania, quæ in regno Turcico annos
nongentos & amplius dominata est. Summa autem
dogmatis Arriani est: Non esse ὁμοῦσων καὶ συναϊδίου Πα-
τρι λόγος, sed esse creaturam ex nihilo conditam, & fuisse
aliquando Patrem cum nondum esset Filius. His bla-
sphemis rectè opponimus ipsam seriem concionis in
Exordio Euangelij Ioannis: Appellationes λόγος, ἐμὸς
v̄, Vnigeniti, DEI, Inuocationem huius Filij, de
qua Prophetæ & Apostoli expressè concionantur:

B 4

Testimo

Testimonia omnipotentiae: perpetuam praesentiam huius
ius filij in Ecclesia: Denique perpetuam Confessionem
Ecclesiae omnium temporum.

XVIII.

DE Humana Natura CHRISTI amplectimur sen-
tentiam Ecclesiae, quam verba proprie intellecta gi-
gnunt. Videlicet, Naturam humanam assumptam à Filio
Dei esse consubstantialem nostrae, et συγγενῆ, ut tota
vetustas locuta est. Certum est enim Carnis appellatione
ne in scriptis Prophetis & Apostolicis non modò Cor-
pus & animam, quae nobis cū cæteris animantibus com-
munis est, sed etiam mentem & intelligentiam hominis
contineri. Quare cū Ioannes inquit, VERBUM CARO
FACTVM EST, Testatur Filium Dei assumpsisse huma-
nam naturam integram, habentem corpus & animam
rationalem, & omnes vires, & appetitiones, naturae hu-
manae proprias, vnà cum omnibus infirmitatibus, quae
non sunt mala culpae, sed mala poenae. Ideoque non solum
Dimeritarum somnium reijcimus, qui autore Apollina-
ri, Humanam naturam Christi tantum interpretantur de
corpore & appetitu sensitivo, & in locum animae ratio-
nalis Diuinam naturam substituunt: Sed etiam abhor-
remus à deliramentis Manichæorum & Valentiniano-
rum.

XIX.

Vt enim Valentiniani finxerunt carnem Christi
non assumptam esse ex virgine, Sed fuisse diuinam & su-
pernaturalem è caelo in vterum Mariae importatam: Ita
Manichæi Naturam humanam in Christo, prorsus nega-
runt, & contenderunt fuisse tantum spectrum, seu for-
mam apparentem cui nulla res subsit. Contra utrosque
autem

autem Basilius in libro de Spiritu Sancto, cap. 9. piè & erudite vrget pondera verborum Pauli Gal. 4. Paulus vt corrigeret errorem quorundam, qui existimant corpus Domini spirituale esse, & simul ostenderet carnem Christi ex humana carne conflatam esse, significantiore voce vsus est. Disertè enim inquit, Christum **EX** muliere natum esse. Si enim dixisset **PER** Mulierem, significaretur transitus quidam, nequaquam huic articulo congruens: iam cum expressè dicat **EX** Muliere, euidenter declarat societatem eiusdem naturæ inter sobolem & genetricem. Et Athanasius in Epistola ad Epictetum grauius vrget verba Angeli Luc. 1. Gabriel afferens Mariæ nuncium circumspicte & cautè euangelizauit, non simpliciter dicens, **QVOD NATVM FV ERIT IN TE**, Ne quis cogitet corpus Christi aliunde in aluum Mariæ importatum esse, sed disertè ait, **EX TE**, vt lucidè non obscure declaret naturam humanam ex ipsa assumptam esse.

XX.

Etsi autem, qualis sit copulatio τὸ λόγος & humanæ naturæ in Christo, tandem in vita æterna integrè discemus, & propterea tota antiquitas nominauit eam ἀρχὴ τοῦ; Tamen Ecclesia in declaratione huius Mysterij rectè vsa est appellatione Vnionis personalis, & in explanatione propositionis: **VERBVM CARO FACTVM EST**, retinet Phrasi Apostolica verbum **ASSVMENDI**, hoc consilio, vt Theodoretus scribit, Ne videatur alterum ex his duobus asseuerare, aut verbum in carnem mutatum esse, aut opinione tantum tale apparuisse, re vera autem carnis expertem aut vacuum esse **DEVM**. Sic enim scriptum est Heb. 2. Semen Abrahamæ assumpsit, Et Philip. 2. Formam serui assumpsit. Est igitur
C vera

vera sententia huius propositionis **VERBUM CARO
FACTVM EST**, Filius **DEI**, qui est secunda persona
diuinitatis massam certam ex genere humano in utero
Virginis à spiritu sancto sanctificatam assumpsit, & sibi
copulauit, non solum inseparabiliter, sed etiam secun-
dum ὑπόστασις.

XXI.

Hæc sententia congruit cum dicto Pauli Coloss. 2.
**IN CHRISTO HABITAT PLENITVDO DIVINI-
TATIS CORPORALITER.** Verbum **HABITAN-
DI** opponitur præsentia **DEI** vniuersali. Nam vt Augu-
stinus loquitur, **DEVS** ubiq; est per diuinitatis præsen-
tiam, sed non ubiq; per habitationis gratiam, ubiq; præ-
sens est **DEVS**, & ubiq; totus præsens, nec tamen ubiq;
habitans. Quia autem **DEVS**, vt idem Augustinus ait,
per habitationis gratiam etiam omnibus fidelibus
adest, vtitur Apostolus duabus clausulis quarum prima
est vocabulum πληρώματα, Non vt significet Tres per-
sonas diuinitatis assumpsisse naturam humanam, sed vt
discernat Christum ab alijs sanctis: In his enim sunt tan-
tum particularia dona, vel gratia diuisa, quæ primitiæ
spiritus appellantur: Christo autem non ad mensuram da-
tus est spiritus sanctus. Ioan. 3. Et natura Christi assum-
pta ante & post glorificationem antecellit omnibus crea-
turis potentia, efficacia, perfectione, merito, dignitate &
ordine: Altera clausula est vocabulum σωματικῶς, quod
significat proprie idem, quod vsitate dicimus Personali-
ter, & opponitur inhabitationi diuinæ, qualis est in san-
ctis in hac vita, quæ est separabilis iuxta dictum de rede-
untibus ad vomitum 2. Pet. 2. Et qualis erit in Beatis in
vita æterna, à quibus etsi **DEVS** non discedit, tamen a-
dest eis tantum societate, Et hæc præsentia re ipsa est se-
parabilis.

Signifi-

XXII.

Significatur igitur talis praesentia λόγος in massa natura humanae assumpta, quae nequaquam est σύγκρισις vel σύγκρασις naturarum, vel proprietatum inter se: sed unio hypostatica, qua tantum secunda persona diuinitatis assumit naturam humanam, non solum inseparabiliter, sed etiam tali ratione, ut diuina & humana natura, sint una persona, & sustentetur atque gestetur assumpta natura, quae propria personalitate caret, a diuina: & proprietates, atque operationes & passiones unius naturae convenientes tribuantur personae certa lege ac modo, videlicet in concreto, ut subiectum sit concretum, quod totum agens significat, habens utranque naturam, Non autem in Abstracto, quo alterutra natura secundum se considerata significatur.

XXIII.

Haec loquendi forma nominatur in Ecclesia proprie Communicatio Idiomatum: & a veteribus synodis ad imitationem sermonis Prophetici & Apostolici prudenter constituta & fideliter usurpata, atque sollicitè custodita est, ut conspici possit, utrumque, & personae unitatem & naturarum differentiam in Christo retineri. Non enim conuersione diuinitatis in carnem, aut carnis in diuinitatem, sed assumptione humanitatis in DEVM, non confusione aut transfusione, aut unius tertiae naturae compositione, sed unitate personae vnus est ac manet Christus, in duabus subsistens naturis. Sicut enim haec persona aeterna est: ita postea impossibile est humanam naturam diuinam insertam non simul manere.

XXIII.

Cum hac vera & perpetua sententia Ecclesiae Catholicae & orthodoxae, tres opiniones pugnant. Prima est

C 3

Nestoriani

Nestorij Episcopi Constantinopolitani, qui cum esset indoctus, & veterum scripta probatè contemneret, sparsit hoc plausibile dogma, τὸν λόγον affuisse homini Christo tantum per assistentiam societate auxiliij, vt in Elia aut alijs sanctis. Hic Personæ vnitatem non retinuit. Ideo solitus est dicere, Noli gloriari Iudæe, non enim DEVM crucifixisti, sed hominem. Altera est Eutychis, qui dum acrius impietati Nestorij nimio contentionis studio resistit, in contrarium malum incurrit. Dixit enim, naturam humanam conuersam esse in diuinam, & hanc mortuam esse: nec tribuit proprietates suas cuiq; naturæ. Tertia est Suuenckfeldij, qui blanda quidem specie fatetur, Filium DEI vsq; ad latissimum resurrectionis diem carne nostra & omnibus eius proprietatibus indutum fuisse: post resurrectionem verò affirmat eandem à diuina natura deificatã & absorptam esse. Harum opinioni nulli assentimur, sed ipsis opponimus grauissimum dictum i. Ioan. 4. Omnis spiritus, qui non fatetur Christum in carne venisse ex DEO non est.

XXV.

Porro quæ sint officia CHRISTI, ostendunt appellationes, Mediator, Redemptor, Iustificator, Saluator, Rex, Sacerdos, Pastor. Hæc nomina officij non sunt Idiomatica alterutrius naturæ tantum, sed communia sunt personæ. Ac magna dissimilitudo est inter has propositiones, Filius DEI est mortuus, & Filius DEI est Rex & Sacerdos Ecclesiæ. Vt enim illa prior ad naturam humanam referenda est, iuxta dictum Petri. Ita hæc posterior loquitur de officio quod conuenit Personæ secundum vtrancq; naturam, Nam hæc actiones, quæ ad officium pertinent, non sunt separatae, sed sunt vnum ἀποτέλεσμα, vt Damascenus loquitur in quo vtracq; natura agit cum

cum communione alterius, quod proprium est nimirum
verbo operante, quod verbi est, & carne exequente
quod carnis est: vt sancti patres in Synodo Chalcedo-
nensi recte locuti sunt.

XXVI.

De persona & beneficijs Spiritus sancti, credimus
& confitemur SPIRITVM SANCTVM esse tertiam
personam diuinitatis procedentem a Patre & Filio, &
esse substantialem amorem & laeticiam coeternam in-
ter Patrem & Filium: quae persona nobis sic manifesta
est, quod mittatur in corda credentium, vt tales motus
in eis accendat, qualis est ipse. Sunt autem hi motus vel
haec dona Spiritus sancti duplicia: Alia sunt communia
omnibus veris membris Ecclesiae, vt sunt, tota hominis
Regeneratio, & Renouatio ad vitam aeternam, vera
agnitio & inuocatio DEI, consolatio in aerumnis, Con-
stantia in confessione & multarum virtutum decus, quae
non sunt folia fici. Haec dona splendide describuntur in
concionibus Prophetis & Apostolicis. Psal. 51. Zach:
12. 2. Timot: 1. Gal: 5. Alia sunt certarum personarum &
vocationum. De his concionatur Paulus 1. Cor: 12. eaq;
distribuit in tres gradus in χαρισματα, διακονιας & ενεργ-
γιματα. Statuimus etiam in Synodo, q̄ Theodosius Mac-
gnus, anno trecetesimo octuagesimo quinto, in vrbe Co-
stantinopoli couenire iussit, recte damnatum esse Macedo-
nium & alios blasphemos, qui contenderunt: Spiritum
sanctum non esse personam, sed tantum agitationem
creatam in hominibus. Hanc blasphemiam, cum multa
alia testimonia, tum vero patefactio totius diuinitatis in
Baptismo Christi: Effusio spiritus sancti in pentecoste, &
forma nostri Baptismi refutant. Et Epiphanius contra
πνευματομαχος recte pronunciat: Spiritus sanctus vere est

ex Deo, & non alienus à Patre & Filio, sed $\delta\mu\omicron\delta\sigma\iota$ Θ Pa-
tri & Filio. XXVII.

Vt autem beneficia Filij DEI & spiritus sancti re-
cte intelligantur, doctrinam de Peccato notam esse ne-
cesse est. Clare autem affirmamus DEVM non esse caus-
sam peccati h. e. Peccatum non esse rem conditam à
DEO, nec DEVM velle peccatum, nec approbare pec-
catum, nec impellere voluntates ad peccandum, nec ad-
iuuare peccantes: Cum enim voluntas DEI ita bona &
iusta sit, vt immutabiliter velit ordinem, qui in lege ex-
pressus est, impossibile est, eam velle, efficere, adiuuare
aut approbare contrarium. Psal. 5. Non DEVS volens
impietatem tu es. Zach. 8. Omnia hæc odi dicit Domi-
nus. Et Basilius in concione de causa mali grauissimè
inquit, Eandem esse blasphemiam, negare esse DEVM,
& affirmare DEVM causam esse peccati. Causa verò
peccati sunt Diaboli & homines, qui libertate volunta-
tis suæ abusi, defecerunt à DEO, & hac inobedientia fas-
cti sunt rei iræ DEI & æternæ damnationis, & amise-
runt rectitudinem, in qua conditi erant. Ioan. 8. Diabo-
lus in veritate non stetit. I. Ioan. 3. Qui facit peccatum ex
Diabolo est: Quia ab initio Diabolus peccat. I. Ioan. 2.
Concupiscentia carnis non est ex DEO sed ex mundo,
Rom. 5. Per vnum hominem intrauit peccatum in mun-
dum.

XXVIII.

Hæc cum ita sint dolendum est tantam & olim fuisse
se, & nunc esse quorundam in differendo licentiam siue
inscitiam, vt non dubitent peccatum collocare inter sub-
stantias. Si enim peccatum est $\delta\sigma\iota\alpha$, nulla causa est, cur
DEVM esse causam peccati negemus, cum à DEO
omnes substantias & initio constitutas, & deinceps ser-
uari piè credamus. Deinde hac falsa hypothese posita atq;
concessa,

concessa, sequitur Christum, peccatum assumpsisse. Constat enim Christum omnes partes humanæ naturæ substantiales cum omnibus proprietatibus substantialibus aeterno & immutabili foedere assumpsisse. Bonus igitur verusq; mediator ostendit peccatum esse Malum, non carnis substantiam, vel Naturam, vt Augustinus ait lib: 10. de C. D. Cap: 24. Cum autem ea, quæ manifestè praua peruersaq; sunt, curiosius tractari non oporteat, ne contentiosis hominibus ambigua videantur, iuxta Athanasium. Nos breuem & eruditam definitionem peccati, quæ est communis peccato Originali & Actuali in Epistola Ioannis Cap. 3. traditam amplectimur, eamq; his cæcis ac cæcorum ducibus opponimus, ἡ ἀμαρτία ἐστὶν ἀνομία: & ad eam adiungimus piæ vetustatis testimonia, quæ hunc furorē perspicuè refutant.

X XIX.

Nam apud Eusebium lib. 7. preparationis Euangelicæ extat longa concio Maximi de hac sententia. Quod peccatū non sit substantia. Sunt etiā eruditæ notæ sententiæ similes apud Basilium in concione de causa peccati: Nazianzeni in carmine de passione Christi: Epiphaniū contra Manichæos & Basilidianos: Augustini Psal. 68. & Tractatu 96. in Ioannem, vbi hæc verba leguntur: Quidam Malum substantiā esse putant, cum sit potius ab immutabili substantia mutabiliū substantiarum defectus, quas fecit ex nihilo ipsa immutabilis & summa substantia, qui est DEVS. Cum autem vocabulū *Ανομίας* seu peccati sit Relatiuū, rectè dicitur, Fundamentū huius mali esse inobedientiam, ugnantē cum norma iustitiæ diuinitus traditæ siue in lege, siue in Euangelio, quod est interpretatio legis. Terminū verò esse iustissimā iram DEI damnantis ac punientis hanc inobedientiam horrendis ac tristibus pœnis, publicis & priuatis, præsentibus & æternis.

æternis. Hæc omnia expressè comprehensa sunt in definitione vsitata: Peccatum est defectus, vel inclinatio, vel actio contra legem DEI, offendens DEVM & commensurans iram æternam, nisi fiat remissio propter Filium Mediatorem.

XXX.

DE Peccato Originis manifestè affirmamus: Omnes homines post lapsum primorum parentum, qui nascuntur naturali propagatione, non solum reos esse propter lapsum primorum parentum, sed etiam nascentes secum afferre deprauationem, quæ complectitur mala priuatiua & positiua: In mente quidem priuationem lucis diuinæ & firmæ agnitionis DEI: quæ priuatio parit perpetuas & tristes caligines & dubitationes, de DEO, de prouidentia, & de iudicio DEI, & de eius promissionibus & comminationibus. In voluntate verò auersio à DEO, tanquam à proprio obiecto, & conuersio ad obiecta contraria legi DEI, & prohibita à DEO. Denique in corde horribilis *αταξία* omnium motuum cordis & contumacia repugnans legi DEI. Rom. 5. propter vnus delictum condemnatio peruenit in omnes. Rom. 3. Omnes sunt rei & carent gloria DEI. Rom. 8. Sensus carnis est inimicitia aduersus DEVM. Legi enim DEI non subiicitur, nec subiici potest. Ephes. 2. Sumus natura filij iræ Psal. 51. Ecce in iniquitatibus conceptus sum. Gen: 8. Cogitatio cordis humani mala est à pueritia. Ierem. 17. Prauum est cor hominis, & ærumnosum & inscrutabile.

XXXI.

Præter hæc & similia dicta scripturæ tria sunt grauissima testimonia, quæ magnitudinem & atrocitatem peccati Originalis ostendunt: Magnitudo calamitatum humanarum, quas non modò adulti, sed etiam infantes sustinent:

sustinent: Horrendi lapsus sanctorum, qui peccant seueritate & multis flammis cupiditatum: Dignitas victime, de qua inquit Bernhardus sermone Tertio de Natali Domini: Ex consideratione remedij, morbi mei aestimo quantitatem. Item Agnosce homo quam graua sint vulnera: Si non essent haec ad mortem, & quidem ad mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur.

XXXII.

DE LIBERO ARBITRIO vel de viribus humanis post lapsum, etsi saepe magna certamina mota sunt tamen cum Regnum DEI non consistat in sermone, sed in virtute, has tres propositiones, quas recitaturi sumus, iudicamus veras esse, & congruere cum doctrina diuinitus tradita: Quarum PRIMA docet, Hominem quantumuis post lapsum horribiliter spoliatum & sauciatum à latronibus Diabolis, tamen non transformatum esse in aliam, vel diuersam, vel disparatam speciem, sed adhuc esse & manere hominem praeditum mente & voluntate, & propterea etiam non renatum posse utcumque regere locomotiuam h. e. flectere externa membra ad actiones congruentes cum lege DEI, Ro. 2. 9. Tit. 3. Voluit enim DEVS hanc libertatem reliquam esse in homine, vt intelligatur discrimen interagens liberum & inter agentia non liberum: Et vt sciamus ipsum DEVM esse agens liberrimum Denique ne vox legum in ciuili gubernatione prorsus inutilis esset. Sunt enim quatuor grauissimae causae, propter quas etiam non renati disciplinam praestare debent. Prima est, Mandatum DEI. Secunda, Necessitas vitandi poenae, Matth. 26. Esa. 33. Leuit. 18. Tertia, Necessitas non turbandi aliorum tranquillitatem: Matth. 22. Mar. 12. Luc. 10. Quarta, vt disciplina sit Paedagogia in Christo.

D

stum.

stum. Gal. 3. Nam homines perseverantes in sceleribus
contra, conscientiam nec doceri de DEO possunt, nec à
filio DEI vivificantur.

XXXIII.

Huic primæ propositioni duæ correctiones rectè
adduntur: Prior hæc est: Quancq̃ disciplina & possibilis
& necessaria est omnibus hominibus; tamen nequaq̃ est
impletio legis, nec meretur remissionem peccatorum,
nec est iusticia, qua coram DEO iusti sumus: sed est simi-
lis folijs fici; quibus primi parentes suam nuditatem te-
gebant. Altera est de tribus impedimentis huius liber-
tatis. Primum est prauitas nobiscum nascens. Secundum
est Diabolus, qui ingenti rabie grassatur in genus hu-
manum. I. Pet. 5. Tertium est moles ipsa negotiorum &
periculorum in hac vitæ confusione. Hæc impedimenta
complectitur querela Ier: 10. Et Augustinus de his gra-
uiter concionatur lib. 22. de C. D. Cap. 22. 25.

XXXIII.

SECUNDA PROPOSITIO docet, in hac depras-
uata hominum natura post lapsum nullã esse vim seu
efficaciam, qua homines non renati, Deo grata,
aut propriæ animæ salutaria vel cogitare, vel velle, vel
perficere possint. Huic asseuerationi firma & perspicua
testimonia suppeditant conciones diuinæ de peccato O-
riginis, de obedientia, quam lex requirit, de causis pro-
pter quas missus est Filius DEI, & propter quas donatur
spiritus sanctus: De inuocatione, deniq̃ manifesta expe-
rientia in lapsibus sanctorum. Quæ testimonia omnibus
pijs in cõspectu sint, non modò ad refutandos secus sen-
tientes, sed multò magis ob hanc causam, vt cogitantes
de nostra infirmitate, quæramus Mediatorem, & ab eo
petamus, vt in nobis restituat amissam conformationem

cum

cum lege DEI in hac vita imputatione & incoatione Io-
an: 8. Ierem: 31.

XXXV.

TERTIA PROPOSITIO. Necessè est in vera con-
uersione ad DEVM inter pauores & dolores conscien-
tiæ, ortos à Lege DEI, mentem hominis à Filio DEI per
Euangelium auditum & cogitatum illuminari, & vo-
luntatem à spiritu sancto efficaciter trahi, quod cum fit,
mens assentitur, & voluntas acquiescit in promissione
gratiæ, non proprijs viribus, sed per spiritum sanctum,
qui hoc modo in consideratione verbi & non aliter effi-
cax est, & incoat motus DEO placentes & conformes
voluntati DEI. Hac doctrina quæ in conuersione vera
& salutari hominis coniungit spiritum sanctum, quem
Pater & Filius mittunt, vt accendat corda nostra, ver-
bum DEI & voluntatem hominis assentientem, congru-
it cum multis concionibus diuinis, & illustrat doctri-
nam de beneficijs Filij DEI & spiritus sancti: & simul
commonefacit nos de nostra infirmitate, alligat etiam
nos ad ministerium verbi & Sacramentorum, eiusq; ve-
rum vsum ostendit, & monstrat modum, quo DEVS
vult esse efficax: deniq; congruit cum experientia spiri-
tuali omnium piorum, & maximum vsum habet non so-
lum in consolatione, sed etiam in doctrina & exhortatio-
ne. Si quis igitur prætextu huius doctrinæ alit, vel Phari-
saicam hypocrisin, vel Epicuream securitatem, in hunc
competit sententia Apocalyp. 22. Si quis sordet sordescat
ad huc.

XXXVI.

Ex hac commemoratione manifestum est, nos
abhorrere ab omnibus furoribus Marcionis, Mani-
chæorum & similibus pugnantis cum doctrina de
caussa & natura peccati: Damnamus etiam Pelagianos

quos Augustinus nominat hostes gratiæ, & eorū errores ex Antithesi in libro de bono perseuerantiæ his verbis describit: Tria sunt, quæ maximè aduersus Pelagianos Catholica defendit Ecclesia: quorum vnum est, Gratiā DEI non secundum merita nostra dari, quoniam dona DEI sunt, & DEI gratia, etiam conferuntur merita vniuersa iustorum. Alterum est, In quatuoracunq; iusticia sine qualibuscunq; peccatis in hoc corruptibili corpore neminem viuere. Tertium est: Obnoxium nasci hominem peccato primi hominis & vinculo damnationis obstructum, nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione soluatur. Et quia Anabaptistæ inter reliquos furores, testificantes eorum sectam à Diabolo ortam esse, fingunt nullum esse peccatum Originis, & propterea negant infantes baptizandos esse, hos quoq; iudicio Ecclesiæ iuste damnari censemus. Deniq; seiungimus nos à Monachis & sententiarijs, qui scribunt concupiscentiam, de qua Paulus loquitur Rom. 7. tantum pœnam esse & rem indifferentem, non peccatum. Et simul fingunt voluntatem humanam posse legi DEI satisfacere, & homines propria legis impletione iustos esse. Hos impios errores quos hoc tempore noui patroni regni Pontificij varijs fucis pingunt constanter damnamus. Quia Euangelium transformant in Philosophiam, & contumeliosi sunt aduersus DEVM: & obruunt; beneficia Filij DEI, & spiritus sancti.

XXXVII.

Nulla est tanta Eloquentia Angelorum vel hominum, quæ satis exponere possit, quantum referat veras metas & vera discrimina legis & Euangelij intelligere: & quanta caligo sequatur hac distinctione amissa. Nisi enim hoc discrimen extet & conspiciatur, tantæ tenebræ existunt,

existunt, vt nec quid sit Ecclesia DEI, nec quomodo Euangelium differat ab Ethnica sapientia, nec quomodo detur remissio peccatorum, nec quæ sint beneficia Filij DEI intelligi possit. Etsi autem in vtroq; genere doctrinæ voluntatem suam DEVS patefecit: tamen ingens discrimen esse Legis & Euangelij definitiones verè & rectè traditæ ostendunt. Docent enim Legem diuinam, cuius summa comprehensa est in Decalogo rectè intellecto, esse æternam & immotam sapientiam & regulam iusticiæ in DEO, præcipientem integram obedientiam, & simpliciter ac immutabiliter damnantem omnes hanc integram obedientiam non habentes. Euangelium verò esse concionem, qua peccatores inuitantur & vocantur ad pœnitentiam vel salutarem conversionem ad DEVM, monstrata diuinæ legis ^{ἐπιταγή} & proposito promissione dulcissima de gratuitis beneficijs Filij DEI.

XXXVIII.

Sunt autem quatuor gradus, quibus ceu metis Lex ab Euangelio discernitur, quorum PRIMVS sumitur à Noticia. De hoc gradu concionatur Paulus Rom. 1. & 2. & Baptista Ioan: 1. SECVNDVS, à promissionibus. Nam expressa mentio Mediatoris & particula GRATIS discernunt Euangelium à Lege. Sicut Rom. 4. dicitur: Ideo ex fide Gratis, vt sit firma promissio. TERTIVS, ab effectibus. Nam Lex est ministerium mortis, & operatur iram. 2. Cor. 3. Rom. 4. Euangelium verò est ministerium spiritus & vitæ & potentia DEI ad salutem omni credenti. 2. Cor. 3. Rom. 1. QVARTVS sumitur ab Obiectis. Etsi enim vult DEVS vtrancq; doctrinam legis & Euangelij à toto genere humano exaudiri: tamen hac ^{ἑσθρομια} publicè & priuatim vtendum est, vt Lex

D ;

quidem

quidem ostendat iram DEI profanis & Hypocritis. Ideo
Ieremiæ 23. Lex nominatur ignis consumens stipulas, &
malleus conterens petras: Euangelium verò consterna-
tos sensu iræ DEI recreat ac reficit Esa. 61. Spiritus Do-
mini super me, eo quod vinxit me, vt consolarer omnes
lugentes. Et Esa. 50. nominatur. Euangelium lingua seu
doctrina, quæ scit oportune loqui cum defatigatis. Hoc
ordine seruato vtracq; doctrina Ecclesiæ salutaris est, si-
cut de Lege dicitur I. Timot. I. Lex est bona legitime vs-
tenti.

XXXIX.

Etsi autem quod ad Iustificationē attinet, eodem mo-
do de omnibus partibus legis Moysei recte dicit, Legem
Mosaicā abrogatā esse, Ro. 3. Ex operibus legis non iu-
stificabitur omnis homo. Gal. 3. Non est data Lex quæ pos-
sit viuificare. Et Nazianzenus alludens ad narrationem
Euangelicam de viatore saucio & spoliato, recte scripsit,
Non Lex, nec Decumæ, nec bona opera me saluabunt;
Sed tua gratia tuacq; misericordia mihi instillet polluto,
Quam solam miseris o Rex exhibes spem peccatoribus:
Tamen quod ad debitum seu obedientiā & pœnam atti-
net, ingens discrimē est. Nam Leges forenses & Ceremo-
niales fuerunt certi temporis & vnā cum politia Mosaica
sic sunt abolite, vt prorsus omitti possint & sint extincte,
Dan. 9. Act. 15. Gal 5. Eph. 2. Col. 2. Heb. 8. 9. Lex mora-
lis verò est eterna nec potest aboleri, quanq; enim pœna
quam nos legi debuimus, translata est in Filiū DEI, qui
sua obedientiā satisfecit legi diuine, & propter quē etiam
à DEO recipiuntur credētes Gal. 3. Christus nos redemit
à maledictione legis factus pro nobis maledictū, Tamē
manet ordo diuinus, vt humana natura fiat conformis
DEO Ro. 8. Vt ius legis in nobis impleatur Mat. 5. Non
veni soluere legem sed implere Ro. 3. Legem Fidelis-
bilimus

quidem

bilimus quod fit primum confessione veritatis, quod sit
lex DE iuste iudicans & damnans nos, & quod nostra
iusticia non mereatur reconciliationem, nec sit Legis
impletio. Secundo, imputatione iustitiæ propter media-
torem. Tertio, Stabilitur Lex fide, quia re ipsa incipit re-
nouatio in corde per filium & spiritum sanctum, quæ po-
stea erit integra in resurrectione, Ier: 31. Dabo legem
meam in corda eorum. XL.

Damnamus igitur & execramur furorem Animo-
rum qui re ipsa vertunt gratiam in Ἀσελεύγεια, dum Le-
gem nolunt doceri in Ecclesia, nec volunt argui peccata
ex lege, & quia fingunt omnes suos impetus esse motus
spiritus sancti, de quo dicitur 2. Cor: 3. ubi spiritus ibi li-
bertas, Nolunt obedientiam suam gubernari à Lege, His
opponimus voluntatem DE, qui promulgatione & re-
petitione crebra atq; solenni testatus est se nō habere le-
gem pro derelicta, & severissima mandata addidit de as-
sidua meditatione & repetitione legis diuinæ in Ecclesia
Exo: 20. Deut: 6. Mat: 5. Imo singulare testimonium est
ostendens solam Ecclesiam esse cetum DE Oplacentem,
quod tantū in hac parte generis humani semper mansit
integra & incorrupta doctrina Legis, à qua ceteræ secte
omnes horribiliter discesserūt. XLI.

Ac ne quis frustra vel editam vel repetitam esse legem pu-
tet, Triplex vsus huius sapiētiae diuinæ in cōcionibus Pro-
pheticis & Apostolicis mōstrat, quorū Primus à guberna-
tione Disciplinæ & metu pœnarū, quæ Deus vel per Ma-
gistratū vel alijs modis sumit de violatoribus legis, no-
minat Politicus I. Tim: I. Lex posita est iniustis. Secundus
nominatur spiritualis, quia est vniuersale iudiciū spiritus
sancti accusans omnia peccata in hominibus interiora &
exteriora, & incutiens conscientijs terrores quos Psalmi

nominant Dolores mortis & pericula inferni: De hoc vo
 su plurimæ conciones passim extant Ier. 23. Rom: 3. 4. 7.
 I. Cor: 15. 2. Cor: 3. In hoc Secundo usu discernendi sunt hi
 qui conuertuntur. Nam conuersi, vt Dauid, Petrus, & si-
 miles, liberantur à condemnatione, & Fide eluctantur
 ex pauoribus & doloribus. Qui vero non conuertuntur,
 vt Saul Iudas & similes, tandem his terroribus oppri-
 muntur & ruunt in æternum exitium. Tertius usus per-
 tinet ad Renatos & nominatur Pædagogicus. Quia
 docet, Qui cultus D E O placeant. Vult enim D E V S
 non tantum fidem sed etiam opera piorum regi verbo
 suo iuxta dictum, Psal: 119. Lucerna pedibus meis ver-
 bum tuum Ezech: 20. In præceptis meis ambulate: Et
 quoniam in renatis manent reliquie peccati, etiam prop-
 ter hanc causam his Lex diuina proponenda est, vt cres-
 cat in eis pœnitentia. Hanc doctrinam de triplici usu
 Legis Paulus sepe repetit, vt ostendat Homines non fie-
 ri iustos Lege. Et Augustinus enarrans Psalmum 119.
 grauissime inquit, Non data est Lex quæ posset viuifi-
 care, sed quæ ostenderet peccata peccatori, peccator e-
 nim oblitus erat se, nec videbat se, Data est illi Lex ne
 videret se, Fecit reum Lex, liberauit lator legis. Lator e-
 nim legis Imperator est: Lex data est quæ terreat & con-
 stringat in reatum & non soluit Lex à peccatis, sed o-
 stendit peccata.

XLII

Certum est homines coram D E O non esse iustos
 lege. Primum quia non habent integram conformitatem
 cum D E O, quam seueritas legis diuine requirit ab omni-
 bus. Ideo Dauid Psal: 143. exclamat, Non iustificabitur
 in conspectu tuo omnis viuens. DEinde, Quia externa
 obedientia quam homines non renati vtcunq; præstare
 possunt

possunt, etiam non satis facile legi diuinæ, sicut Paulus de hoc gradu iusticiæ legalis inquit, Tit:3. Non ex operibus iusticiæ quæ nos fecimus h. e. iusticia carnis seu disciplina nequaquæ est iusticia coram DEO, nec impletio legis, nec causa, nec meritum Remissionis peccatorum. Tertio: Quanquæ noua obedientia in renatis non tantum est diligentia rationis, sed etiam Lux in mente accensa à Filio DEI, & motus in voluntate & corde accensus à spiritu sancto congruens ad legem DEI, Tamen & hic gradus iusticiæ imperfectus est propter impedimenta externa & interna, & ideo quoque non potest opponi iudicio DEI sicut Paulus inquit. I. Cor:13. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Et Augustinus enarrans Psalmum 42. inquit, Quicumque hic uiuit, quantumlibet iuste uiuat, uel illi si cum illo in iudicium intrauerit DEVS. Da igitur operam ut sis iustus, sed quantumcumque fueris, confitere te peccatorem esse.

XLIII.

Laudanda est igitur & perpetua gratitudine celebranda est immensa misericordia, & bonitas DEI, quod in promissione gratiæ per Filium aliam iusticiam sine lege reuelauit, quæ tamen habet testimonium legis & Prophetarum, iusticiam uidelicet DEI per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt. Sicut igitur iusticia legis est facere legem seu præstare opera legis, Deut. 6. Leuit: 18. Rom: 10. Ita iusticia Euangelij, Est Remissio peccatorum, reconciliatio cum DEO, & imputatio iustitiæ propter mediatorem quæ accipitur, fide. Nam uocabulum iustificari, Phrasi Euangelica significat, Accipere Remissionem peccatorum, reconciliationem & imputationem iustitiæ, ut Lucæ 18. de Publicano qui sentiens iram DEI aduersus peccata ardenti gemitu

mitu petit, DEVM sibi propiciū esse, scribitur, Descen-
dit iustificatus in domum suam h. e. absolutus à reatu &
fide consecutus Remissionem peccatorum, reconcilia-
tionem iusticiæ & acceptationem ad vitam æternam, Et
Paulus Ro. 4. diserte inquit, Iustificationem esse gratui-
tam imputationem iusticiæ, qua DEVS per misericor-
diam nos recipit. XLIII.

Fides non tantū significat noticiā historiæ, seu p̄fessio-
nē articulorū symboli, sicut Hypocrite pertinaces in reg-
no p̄tificio contendūt, sed est Assentiri omni verbo Dei
nobis tradito, atq; ita p̄missioni gratiæ & est fiducia ac-
quiescens in Deo propter filiū, accedens ad Deū & inuo-
cans eū & clamās Abba Pater, quæ sentit̄ in credentibus
& in veris paoribus adfert consolationē & lætitiā. Quan-
do igit̄ Paulus ait, Fide iustificamur, non intelligendo est
Fides tantū de Notitia historiæ, sed de fiducia acquiescen-
te in p̄missione de Mediatore. Et Propositio correlatiue
intelligēda est, Fide iustificamur h. e. Per misericordiā p̄-
pter Christū p̄missam, quam fide agnoscimus, apprehen-
dimus & nobis applicamus, habemus remissionem pec-
catorū & placemus Deo. XLV.

Quod autē fides præter notitiā & assensum in mēte, eti-
am certā & indubitātā fiduciā in volūtate & corde signi-
ficet, applicantem singulis credētibus beneficia Christi,
Testimonia scripturæ quæ de natura & effectibus fidei cō-
cionant̄ satis declarāt Ro: 4. Ideo ex fide Gratis vt firma
sit p̄missio, Hic diserte cōfert Paulus fidē & p̄missionē,
vt testet̄ fidem non tantū esse Notitiā assentientē historiæ,
sed multò magis acquiescētē in p̄missione, diuina quæ in-
cludit Mediatorē, sine quo Deus nihil nobiscū agit. Ro:
5. Iustificati fide pacē habemus. Abac: 2. Iustus fide sua vi-
uit Eph: 3. Per quē habemus accessum & libertatē loquēdi
cum Deo in fiducia, quæ est per fidē ipsius, Hi effectus nō
de sola

de sola notitia & professione, sed multo magis de fiducia
victorice paucorum & dubitationum, intelligendi sunt, Postre-
mo & hec argumenta ostendunt fide esse fiduciam misericor-
diae, quia necesse est fidem piorum discerni a notitia Dæmo-
ni de qua Iacobus inquit, Dæmones credunt & contremis-
cunt Item: Quia vera fides luctatur cum varijs tentationibus
& est victoria quæ vincit mundum. I. Ioan: 5. Hec victoria non
potest tribui notitiæ: Denique, fiducia misericordiae excu-
tit lapsibus contra conscientiam manente notitia in parte co-
gnoscente. I. Ioan: 3. Si cor nostrum non condemnarit nos, fi-
duciam habemus erga Deum. XLVI.

Recitata significatione vocabulorum, quibus in hac par-
te doctrinae utitur scriptura, clare & perspicue affirmamus,
Hominem inconuersione h. e. in veris doloribus & paucori-
bus conscientie, luctantis cum ira Dei, accipere Remissionem
peccatorum, reconciliationem cum Deo, & imputationem iusti-
ciae coniunctam cum hereditate vite aeternae propter Medi-
atorem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum Deum & ho-
minem Gratis, sola fide, non propter propriam dignitatem seu pro-
pter virtutes proprias, aut propria opera seu merita, Huius
asseuerationis testimonia manifestissima in scriptis Pro-
phetarum & Apostolicis extant, quae cum experientia spirituali
piorum congruunt, Nam Prophetarum consensum his verbis
allegat Petrus Act: 10. Huic omnes Prophetarum testimoni-
um perhibent Remissionem peccatorum accipere per nomen eius
omnes, qui credunt in eum, Et Paulus summam doctrinae Apo-
stolicae de Iustificatione complexus est hoc Aphorismo
Ro: 3. Iustificamur gratis, ipsius gratia, per redemptionem quae
est in Christo Iesu, quae proposita est Deus propter fidem
in sanguine eius, ad ostendendam iusticiam suam per remissi-
onem peccatorum, In hoc dicto Paulus ordine recitet causas
Iustificationis. Primum. n. nominat causam efficientem, vi-
delicet Gratiam h. e. Misericordiam Dei gratuitam, Deinde

Digitum intendit ad causam impulsivam. Et quidem Dignitati nostrorum meritorum opponit particulam Gratis, quæ tollit omnia somnia Hypocritarum de merito congrui & condigni. Nominat autem Redemptionem & propitiationem, Et ut admoneat nos de admirando & inenarrabili temperamento iusticiæ & misericordiæ in DEO, Et ut doceat nos Filium DEI Mediatorem pro nobis pœnam tanquam λύτρον persoluisse, & iram DEI morte filij placatam esse: Tertio fit mentio instrumenti quo iustificatio apprehenditur & nobis hoc remedium salutare applicatur, Hoc instrumentum est sola Fides. Postremo nominatur Formale iustificationis, videlicet Remissio peccatorum, Ex hac distributione causarum intelligi potest, quo candore Osiander vociferatus sit infinitos modos iustificationis in nostris Ecclesijs proponi.

XLVII.

Etsi autem Sophistica infinita est, qua Diabolus hanc perpetuam sententiam de iustificatione corrumpere ac delere conatus est, Tamen tres sunt præcipue gradus falsarum opinionum, ad quos omnes corruptelæ huius salutariæ doctrinæ tanquam ad capita reduci possunt. Prima est Philosophica, & Pharisaica quæ immodice laudat & attollit disciplinam eamque iudicio DEI opponere non veretur, sicut Phariseus Luc: 18. Huius blasphemiarum patrocinium susceperunt, Origenes, Pelagius & Monachæ hi, qui finxerunt Paulum tantum operibus legum Cærimonialium Iustificationem detrahere. SECUNDA corruptela: est Synechdoche Papistarum, Sphyngis Augustanæ, Osiandri & aliorum, qui propositionem Paulinam de fide formata dilectione interpretantur, ut sit sententia, Nos partim fide, partim operibus iustos esse, vel

se, vel nos fide preparari ad iustificationem, ut simus de
inde alia re iusti, videlicet nouitate seu inherente iusticia
essentia. TERTIA corruptela, est Dubitatio Tridentina,
na, quæ prorsus tollit atq; delet articulum symboli, credo
Remissionem peccatorum.

XLIX.

Harum corruptelarum nulli prorsus assentimur, sed
singulis constanter contradicimus. Neq; enim illa Pha-
risaica vera est cum Paulus expresse dicat, ex operibus
legis nemo iustificatur. Et falsæ interpretationi huius
dicti, & similitum, sparsæ ab Origene & Pelagio opponi-
mus argumentum, quod splendide & copiose explicatum
est ab Augustino in libro de spiritu & de litera, Si libe-
ratio à lege tantum ad cæremonialia pertinet, non pro-
fuit patribus ante Mosen. Necessè est autem statuere li-
berationem à lege pertinere ad vniuersam Ecclesiam à
principio mundi vsq; ad finem, Quare absurdissimum
est dicere, quod Christus liberauerit nos tantum à Cære-
monialibus. Sit igitur hoc nobis persuasum Paulum de-
trahentem legi laudem iustificationis de tota lege loqui:
Et neminem propter Cæremonias aut moralia opera
coram DEO iustum esse.

L.

Dignissima etiam odio & execranda ab omni-
bus creaturis est Synecdoche Papistica, quam Iesuitæ
& Enthusiastæ nouis coloribus pingunt. Sed hanc de-
testandam audaciam perspicue refutant exclusiua toties
à Paulo repetita: Sine lege, sine operibus, Gratis, In se-
mine non in seminibus, Hæ exclusiua firmissime reti-
nendæ sunt propter quatuor causas, quarum PRIMÆ
est, Gloria Christi, quæ est, Quod per semetipsum pur-
gatione facta peccatorum nostrorum, confedit in dexte-

ra maiestatis, & nobis à Deo factus est sapientia, iusticia, sanctificatio, & redemptio: Altera est firma consolatio conscientiarum Rom: 4. Ideo ex fide gratis vt firma sit promissio. TERTIA est vera inuocatio, quæ à solis fide iustificatis fieri potest. QVARTA: Discrimen legis & Euangelij, quod præcipue in particulis exclusiuis consistit, Etsi autem iustificatio nunquam diuellenda est à præsentis conuersione, in qua certissimū est, dato spiritu sancto multas virtutes simul incoari, Tamen persona in hac vita est & manet iusta sola fide propter solā obedientiam Mediatoris: Quamobrem particulæ exclusiuæ non excludunt cæteras virtutes ne adsint, sed excludunt conditionem meritū seu dignitatis nostræ, Sicut Lutherus in libro de libertate Christiana scribit, Non liberi sumus per fidem ab operibus, sed ab opinionibus operum h. e. à stulta præsumptione iustificationis per opera quæsitæ, Fides enim conscientias nostras redimit, rectificat, & seruat qua cognoscimus iusticiam non esse in operibus, licet opera abesse nec possint nec debeant.

LI.

POSTREMO Toto pectore abhorremus ab impio Decreto, in Synodo Tridentina facto, quod homines in perpetua dubitatione manere iubet, & fidem specialem, qua vnusquisq; agens pœnitentiam sese in promissionem gratiæ includit, arrogantia & impudentia condemnat, Hic error prorsus Ethnica imaginatio est, & omnis mali causa existit DEO & hominibus: Nam & DEO crimen falsi obijcit, & Euangelium prorsus abolet, & in veris doloribus salutarem consolationem conscientijs adimit, Deniq; homines ab inuocatione DEI arcet, & proximus gradus est ad desperationem. Opponenda sunt autem huic blasphemio dogmati hæc

hæc quatuor testimonia, quæ nulla Sophisticæ eludi
 possunt, quorum. PRIMVM est, Natura promissionis
 gratiæ, quæ non aliter nisi fide accipienda est, & quidem
 ea fide, quæ aduersa fronte repugnat dubitationi, sicut
 exemplum Abrahæ Rom: 4. ostendit. SECVNDVM,
 complectitur usum Sacramentorum in quo singulis se-
 orsim & priuatim beneficia filij DEI applicantur & obs-
 signantur. TERTIVM est ipsa natura & vis fidei,
 quam ostendunt effectus qui à Paulo describuntur Ro:
 5. Eph: 3. QVARTVM Est usus Mediatoris de quo
 dicitur Eph: 3;

LII.

DE Bonis operibus clarè & perspicuè affirmamus Ne-
 cessariã esse post reconciliationẽ nouã obedientiã, quam
 Deus postulat & approbat. Significat autem vocabulũ,
 Necessitatis, non violentam coactionem, sed ordinem à
 DEO sancitum, quo vult DEVS immutabiliter, vt &
 volens obtemperet creatura rationalis, & sciat non esse
 faciendum contra illum ordinem. Sicut autem non uti-
 mur hac Propositione, Bona opera sunt necessaria Ad
 salutem, cum de merito intelligatur & tanquã pomum
 ẽgis arripiatur ad inflammanda dissidia publica, Ita ab-
 horremus ab ea barbarica Hyperbole qua dicitur, Bona
 opera esse pernicioſa vel officere salutem, Est enim contu-
 meliosa aduersus spiritum sanctum & eius dona, & con-
 firmat ἀσελγεια Antinomicam: deniq; pugnat secum in
 explicatione, Nam vt Augustinus ait Psalm: 67. Ea sola
 dicenda sunt bona opera quæ fiunt per dilectionem
 DEI & quæ antecedit fides, vel vt Euagrius loquitur
 quæ fiunt πονηρὰ μὲν ἔργα πιστῶς.

LIII.

E 4

Causæ

Causæ necessitatis bonorum operum sunt: debitum, Rom: 8. Cura vitandi lapsus, quibus amittuntur beneficia filij DEI & spiritus sancti Gal: 5. Phil: 2. Heb: 12. Diligentia vitandi poenas temporales & æternas Ioan: 9. Finis præcipuorum operum DEI, Creationis, Redemptionis, & sanctificationis, Eph: 2. Luc: 1. 1. Pet: 2. 1. Ioan: 3. Spes resurrectionis & vitæ æternæ Tit: 2. 1. Ioan: 3. Diligentia vitandi scandala Matt: 5. 18. 1. Cor: 10. 1. Pet: 2. Vñsus Sacramentorum Rom: 6. 1. Cor: 10. Exempla æterni Patris & Filij eius Domini nostri Iesu Christi Luc: 6. Matt. 11. Phil: 2. Cæterum norma gubernans bona opera est Decalogus iuxta declarationem à Christo & Apostolis traditam intellectus. Quomodo autem fieri possint, & quomodo DEO placeant bona opera, & quid de promissionibus quæ bonis operibus additæ sunt sentiendum sit, docent hæc dicta 1. Pet: 2. Offerentes hostias spirituales acceptas DEO per Iesum Christum 2. Cor: 1. Quotquot sunt promissiones DEI per Christum, sunt Etiam per ipsum Amen.

LIII.

Diligenter retinemus discrimen inter peccata quæ manent in renatis militantibus bonam militiam, & retinentibus fidem & bonam conscientiam, & inter lapsus per quos homo desinit esse templum & domicilium DEI, Et amittit Remissionem peccatorum & spiritum sanctum. Sicut Paulus diserte discernit inter peccatum regnans & non regnans, discrimen autem traditur in dicto Rom: 8. Si actiones carnis spiritu mortificabitis, viuetis, si secundum carnem vixeritis moriemini. Damnamus igitur furorem Anabaptistarum & Antinomorum, qui hoc discrimen tollunt, & fingunt ruentes contra conscientiam tamen manere iustos & retinere spiritum sanctum.

ctum. Hic furor complectitur magnum chaos errorum,
& refutari potest non solum dictis cœlestibus, sed etiam
exemplis primorum parentum Gen:3. Aaronis Deut:9.
Saulis I. Reg: 15. Dauidis. 2. R: II. Petri, Mar: 14. Hæc ex-
empla monent nos de regula, I. Cor. 10. Qui stat videat
ne cadat.

L V.

Sicut autem Anabaptistæ & Antinomi confirmant
securitatem in multis, ita desperationis periculum con-
scientiis struunt Nouatiani & Cathari, qui vt Cyprianus
loquitur, non tantum more sacerdotis vel Leuitæ iacen-
tem vulneratum prætereunt, sed ingeniosa ac noua cru-
delitate fauciatum potius occidunt, adimendo spem sa-
lutis, denegando misericordiam patris, respuendo pœ-
nitentiam fratris. His crudelibus Hypocritis, opponi-
mus conciones perpetuas Prophetarum, Christi & Apo-
stolorum de pœnitentia, quæ testantur lapsos, si rursus
ad DEVM conuertantur, vere propter Mediatorem res-
cipi, Quantum autem his concionibus tribuendum sit,
ostendit iuramentum eis additum Ezech: 33. quod Tertu-
lianus his verbis exaggerat. Bonum est pœnitere an-
non? Quid reuoluis? DEVS præcepit, At ille non præ-
cepit tantum, sed etiam hortatur, inuitat premio salutem,
iurans etiã, Viuo dicens, cupit sibi credi, O beatos, quo-
rum causa DEVS iurat, O miserrimos, si nec iuranti Do-
mino credimus.

LVI.

Retinemus definitionem Pœnitentiæ vsitatam, quæ
tres partes pœnitentiæ recenset. Contritionem, Fidem, &
Nouam obedientiam, ita, vt singularum partium pro-
prietates seruemus, Sicut enim Cōtritio vinum est, infun-
dendum vulneribus Epicureorum & Hypocritarum,
F Fides

Fides vero est saluberrimum Balsamum, sua fragrantia illustrans gloriam Filij DEI, & consternatas atq; faucias conscientias mirifice recreans atq; sanans: Ita Noua obedientia est frenum, coercens Antinomias imaginationes eorum, qui fingunt pœnitentiam sine bono Proposito. Toto pectore etiam abhorremus à confusionibus & labyrinthis disputationum, quibus Monachi in regno Pontificio hanc partem doctrinæ obruerunt, eamq; transformarunt in horrendam carnificinam conscientiarum, quæ extinguit fidem & inuocationem. Fingunt enim Contritionem oportere esse sufficientem, & mereri Remissionem: Dicunt necessariam esse enumerationem omnium delictorum in petenda absolutione: deniq; fingunt satisfactiones Canonicas, quas affirmant esse compensationes pœnarum æternarum.

L VII.

Gratias etiam agimus DEO tantas, quantas maximas animi nostri capere possunt, pro hoc immenso beneficio, quod Ecclesiæ senescenti puram & salutarem doctrinam de pœnitentia restituit, quam singuli p̄i quotidie in inuocatione & alijs exercitijs pietatis ad vsum transferre possunt. Gratitude nostram etiam DEO iurante declaraturi sumus in confessione & studio seruandę huius puritatis, qua extincta, nulla consolatio existere potest, retrahens nos ex morte æterna: Nec inuocatio vera fieri potest, nec discrimen est inter Ecclesiam DEI & alias sectas. Falsa est enim imaginatio eorum qui architectantur Ecclesiam sine Euangelio & sine Filio DEI. Sicut I. Corinth. 3. dicitur, Fundamentum aliud poni non potest quam id quod positum est, quod est Iesus
Christus

Christus. Hoc fundamentū, cum Pontificij destruāt, idq̄
ex omnibus partibus, quas pœnitentiæ affingunt, tetre
atq̄ impie cum sumā temeritate atq̄ impudētia, remoue
ant & abiiciant, nequaq̄ eorum cætus pro vera Ecclesia
habemus, & letamur nos ab eorum societate procul ab
esse.

LVIII.

Cum autem Ecclesiā à ceteris gentibus etiā discernāt
ritus quidā diuinitus instituti, qui nominātur vsitate Sac
ramenta, etiā de hac parte recte doceri homines necesse
est. Sunt autem Sacramenta, vt Ecclesia loquitur, ritus di
uinitus instituti, additi promissioni gratiæ, vt sint pignos
ra & testimonia, quæ non tantum sunt commonefactio
nes de promissione Euangelij, sed etiam applicationes
beneficiorum CHRISTI ad singulos credentes, qui
Sacramentis vtuntur, Sicut Paulus inquit, Galat: 3. Qui
Baptizati estis, CHRISTVM induistis: vt enim vox
Euangelij generalis est, ita vsus Sacramētorum testatur,
ad singulos credentes pertinere beneficia in Euangelio
promissa. Quare impia amentia est, fingere Sacramenta
tantum esse vel signa Allegorica vel signa distinctiua,
discernentia Ecclesiam ab alijs gentibus. Est & hic er
ror dignissimus odio & execrandus ab omnibus homi
nibus, qui fingit, hominem iustum esse propter vsum Sa
cramenti ex opere operato, & quidem sine bono motu
vtentis.

LIX.

Contra hos errores teneamus Regulam, Nihil ha
bet ratioꝝ Sacramenti extra vsum institutum. Sciamus

etiam ad verum & legitimum vsum Sacramentorū hæc tria requiri, quorum PRIMVM est Ritus à DEO præscriptus, vel Actio conueniens diuinæ institutioni. Nulli enim creaturæ concessum est, mutare diuinam institutionem; nec vlla ratio aut dispensatio valet contra mandatum DEI Gal:3. Cum Testamentum hominis nemo mutare debeat, multò minus Testamentum DEI mutandum est: Et Cyprianus lib:1. Epistola.4. inquit, Nihil cuiquam largiri potest humana indulgentia, vbi intercedit & legem tribuit diuina præscriptio, Et vsitate dicitur, Ecclesiam nec Materiam, nec Formam Sacramentorum mutare posse. ALTERVM Est Finis legitimus seu congruus institutioni, vt Aqua Baptismi nō est Sacramentū, quando transfertur ad alios vsus extra institutionē, Sic panis qui in pompa Pontificia circumgestatur, adoratur, offertur, & includitur, non est Sacramentum, sed horribile Idolū. TERTIVM Est Fides accipientis, quia Sacramenta sunt sigilla iusticiæ fidei. Etsi enim Fides non facit Sacramentum, tamen sicut promissio Gratiæ non est salutaris, nisi fide accipiatur, Ita Sacramentum sine fide non prodest Rom:2. Circumcisio prodest, si legem obserues.

L X.

Baptismus est instituta à Filio DEI Mersio in aquam cum pronuntiatione verborū, Ego baptizo te in nomine patris, testificans eum, qui cum hac pronuntiatione verborum mergitur, reconciliari DEO propter Christum, & sanctificari spiritu sancto ad vitam æternā, Hæc descriptio desumpta est ex manifestis testimonijs vocis diuinæ Mar:16. Tit:3. Eph:5. Gal:3. Et Prosper in Epistola ad Demetriadem, de beneficijs quæ in Baptismo exhibentur, dulcissime inquit: Dum exterior homo in

in Baptismo abluatur, mutatur interior, & fit noua Crea-
tura de veteri, vasa iræ in vasa misericordiæ transfor-
mantur, & in corpus Christi conuertitur caro peccati, de
impis iusti, de captiuis liberi, de filiis hominum, filij
DEI, Porro de Baptismo infantium hanc confirmatio-
nem ex Euangelio desumptam retinemus, eamq; fanati-
cis opinionibus Anabaptistarum opponimus Omnes
saluandos oportet inseri Ecclesiæ in hac vita, Ad infan-
tes pertinet promissio salutis æternæ, Matth: 18. 19. Sunt
igitur infantes Ecclesiæ per Baptismum inserendi.

LXI.

DE Cœna Domini, quam Græca Ecclesia *εὐχὰ πρὸς
στὴν, λατρυγία* & *ἀγάτηρ* nominat, Profitemur nos indu-
bitata fide ex veris, firmis atq; immotis verbis institutio-
nis Domini nostri Iesu Christi, quæ quidem & ab Eu-
angelistis diligenti cura & consensu vnanimi descripta
& ab Apostolo Paulo accuratè repetita & declarata sunt,
hanc simplicissimã rectissimã ac minime fallentẽ senten-
tiã diligenter retinere: Quæ docet: Sacramentum Cœnæ
Domini esse verum corpus & sanguinem Domini nostri
Iesu Christi, sub pane & vino nobis Christianis ad mans-
ducandum ac bibendum à Christo ipso institutum. Hoc
ipsum, secundum Pauli Apostoli declarationem eadem
sententia dicitur, Sacramentum Cœnæ, Esse communi-
cationem corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Chri-
sti, iuxta ipsius institutionem, in qua Christus verè & sub-
stantialiter adest, sic quidem, vt verum suum corpus pro
nobis in ligno crucis traditum, & verum suum sangui-
nem pro nobis effusum cum externis & visibilibus sym-
bolis, pane & vino nobis distribuat, ac testetur se reci-
pere nos in gratiam, & membra sui corporis facere, &
nos abluere suo sanguine & remittere peccata, & vere in



nobis habitare & efficacem esse velle. Verba Pauli. I. Cor
inth: 10. hæc sunt: Panis quem frangimus communica
tio corporis Christi est, poculum cui benedicimus, com
municatio sanguinis Christi est.

LXII.

Hæc verba Pauli PRIMVM deducunt nos ad cer
ti generis Actionem, quam verba institutionis sanciant,
extra quam nihil habet rationem Sacramenti. Refutant
ergo repositionem, circumgestationem, oblationem pa
nis consecrati & alias horrendas profanationes, & abo
minandos abusus in Missa Pontificia. DEINDE signi
ficant in legitima administratione huius Cœnæ Domi
nicæ, Panem & Vinum non esse nuda Symbola aut tan
tum signa societatis, & affirmant his rebus externis &
visibilibus corpus & sanguinem Christi videntibus vere
communicari, Refutant igitur errorem Sacramentario
rum, qui negant Christum sic in hac Cœna adesse sub
stantialiter, vt nobis præsens suum corpus & sanguinem
distribuat, ideoq; nihil relinquunt in Cœna præter Pa
nem & Vinum. TERTIO, Testantur: Panem non con
verti vel transsubstantiari in corpus Christi, sed talem fi
eri vnionem Sacramentalem eorporis & sanguinis Chri
sti cum externis Symbolis, vt verè cum illis exhibean
tur: Postremo, complectuntur integrum vsum Cœnæ
Domini, cum nominant Panem & calicem corpus &
sanguinem Christi, & diserte refutant Sacrilegam admi
nistrationem Cœnæ Domini, in qua sacrificuli Pontificij
alteram partem Laicis scelerate adimunt. Ab his partim
profanis, partim superstitiosis & portentosis erroribus
pugnantibus cum verbis institutionis & cum declarati
one Paulina, nos quoq; toto pectore abhorremus iisdemq;
constanter contradicimus.

Cum

LXIII.

Cum autem Paulus tristi concione accuset indigne vtentes hac Cæna, recte etiam docemus homines de finibus longe optimis & maxime salutaribus ad quos vsus legitimus huius Cœnæ referrî debet, Quorû PRIMVS & Principalis est confirmatio fidei, De hoc fine dicitur hoc facite ad mei recordationem, Sicut enim Amissio fidei nominatur obliuio. 2. Pet: 1. Ita appellatione recordationis describitur viuua & crescens fides. 2. Tim. 2. SECVNDVS Est Gratiarum actio seu pietas, quæ, vt Cyprianus ait, inter data & condonata diuidens, gratias agit tam vberis beneficij largitori. TERTIVS Est Confessio, de qua Paulus inquit, Non potestis simul calicem Domini bibere & calicem Dæmoniorû, Et Cyprianus præclare inquit, Quoties sanguinem Christi sumo, toties ad effusionem mei sanguinis pro Christo promptus & paratus sum. QVARTVS, Est mutua dilectio. 1. Cor: 10. Vnus Panis & vnum corpus multi sumus, qui de vno calice participamus, Et Augustinus Tract: 26. Christus corpus & sanguinem suum illis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquod rediguntur ex multis. Vult igitur intelligi corporis & membrorum suorum videlicet sanctæ Ecclesiæ societate. LXIII.

QVINTVS finis Est consolatio de stabilitate Ecclesiæ, Cum enim Paulus inquit, Mortem Domini annunciate donec veniat, testatur, Ecclesiam quæ mortem Domini grata voce celebrat & hoc Sacramento pie inuiolateq; vtitur, mansuram esse vsq; ad lætissimum diem, quo sese Filius DEI iterum ostendet vniuerso generi humano, resuscitatis mortuis. SEXTVS & postremus finis, est Commonefactio de resurrectione corporum nostrorum & de vita æterna, De hoc fine

Irenæus lib:4. & 5. grauissime inquit. Quia in usu cœ-
næ Domini nutrimur & fouemur corpore & sangui-
ne Christi, qui est vita & resurrectio, fieri non potest, vt
corpora nostra perpetuo sine honore in monumentis
conclusa teneantur, Nam quamuis resoluta in terram, ta-
men in suo tempore resurgent, verbo DEI resurrectio-
nem eis donante, in gloriam DEI patris. Omnis igitur
qui habet hanc spem, sanctificet seipsum, sicut & ipse san-
ctus est. I. Ioan:3. Oramus autem Filium DEI Dominum
nostrum Iesum Christum vere colligentem sibi Ec-
clesiam voce doctrinæ, quam breuiter hæcenus recita-
uimus, vt sanctificet nos omnes in veritate sua, eamq; in
pectoribus nostris spiritu sancto suo obsignet, ne aut
verbū ipsum, aut natiuam eius sententiam effundamus,
deniq; faciat nos participes resurrectionis sanctorum,
suorum, Amen.

HILARIUS LIB: I. DE

Trinitate.

Optimus lector est, qui dictorum intelligenti-
am expectat ex dictis potius, quam imponat, & retu-
lerit magis quam adtulerit, neq; cogat id videri di-
ctis contineri, quod ante lectionem præsumserit in-
telligendum.

tem Domini gratia voce celebrat & hoc sacramen-
to pie inuoluitur, ut in manu esse vult ad laudis
mundum, quo se filius DEI rectum ostendet vni-
uerso generi humano. **SEXTVS**
Et postquam hæc, est Commemoratio de resurrectio-
ne corporum nostrorum & de vita æternæ. De hoc hæc
Irenæus

Aug. VI 63


ULB Halle 3
003 877 892



Sb.







PROPOSITIONES
REPETENTES

PRAECIPVA CAPITA DO-
CTRINAE ECCLESIAE

asticæ, de quibus

Præsidente DAVIDE VOITO D.

Pro licentia accipiendi gradum Doctorum in
Theologia, DEO iuuante, Respondebunt Re-
uerendi viri

- M. IOANNES STREITPERGERVS Curio Variscus, In-
spector prouincialis Ecclesiarum in Marchianatu Brandenbur-
gico superiori.
- M. MARTINVS MIRVS VVeidensis, Pastor & Superinten-
dens Ecclesiæ Ienensis & Vicinarum, & Professor in Aca-
demia Ienensi.
- M. IOANNES AVENARIVS Egranus, Professor Hebræe
linguæ in Academia Ienensi.

Die XXIX. Ianuarij.

I E N A E.

EXCVDEBAT DONATVS

Ritzenhan.

ANNO D. M. LXXIIII.